

*tam loco citato apud nos crescentem exactissime refert, quæ folia gerit omnia linearia, graminea, dum lato-lanceolata extus, intusque angustiora sunt in humili.*

*Præterea S. humilis L. in pascuis siccis, et locis submontanis, ut Piossasco, Caselette, similibusque locis aridis, calidioribusque reperitur, dum austriaca alpestribus pratis delectatur.*

*Delendum etiam HALLERI synonimon, ac ad humilem transferendum, ut mihi constitit utrasque plantas, earumque descriptiones comparando.*

**SCORZONERA muricata**, N.

*S. foliis pinnatifidis, linearibus, asperis; caule mu-*  
*ricato, pedunculis superne lævibus.*

Prope Tendam. Biennis.

*Descr. Caulis ramosus, strictus, sulcatus, ad angulos muricatus. Folia è radice simplicia, petiolata, linearia, caulina pinnatifida, folio impari linearí longissimo; peduncolorum folia linearia, omnia usque ad summitatem hispida. Pedunculi in juniori planta omnino læves, in adulta vero hispidi quoque evadunt. Ceteræ partes, ut in *S. laciniata*.*

*Obs. Anceps diu hæsi, utrum hanc ut distinctam speciem proponerem; ast quum Scorzonerae cuiusdam semina sub hispidæ nomine a strenuo viro et Collega Ludovico BELLARDI acceperim, quæ telluri commissa nostræ similem plantam omnino præbuere; ipsaque a tribus annis exculta nunquam habitum*

*mutaverit suum, hinc credidi posse pro nova et distincta specie proponere. Eamdem plantam sub hispidæ nomine recenset in catalogo Horti Florentini Cl. ZUCCAGNI, a quo probabiliter D. BELLARDI semina habuit.*

**APARGIA tuberosa, W.**

Synonima omnia, tum etiam hujusce plantæ descriptio a D. WILDENOW tradita ad *Hieracium bulbosum* ejusdem auctoris transferantur, ut cuilibet utrasque plantas observanti patebit. Siquidem *A. tuberosa* W. non tubera, sed verò gerit bulbos, calycem hirtum, pappum stipitatum, dum altera, quæ sub nomine *Hieracii bulbosi* exhibetur, tuberibus instructa est, folia habet tantum sub-dentata, glabra, non runcinata, calycem glabrum, pappumque sessilem. Atque ad vitandas omnes ambiguitates, legantur quæ ad *Apargiam bulbosam*, et *Hieracium tuberosum* relata sunt.

**APARGIA bulbosa, N.**

A. scapo unifloro nudo, glabriusculo, calycinis squamis acutis hirtis, foliis obovato-runcinatis hirtis, scabris, pilis furecatis radice (*bulbosa*. N.).

**PICRIS tuberosa, All. 1, N.º 763.**

Chondrilla altera Dioscoridis monspeliensis. *Lob. ic. 232.*

In pascuis Nicæensibus.

**APARGIA crispa, W.**

Leontodon crispum. *Vill. Balb. addit. p. 94.*